

1263 2/4

Chelmno

Convent of Toruń (prov. of Polonia)

*Grandmaster Anno von Sangershausen of the Teutonic Order gives land and privileges to the Order of Preachers for a convent foundation in Toruń. This is done in gratitude for the diligence and application with which the Friars Preachers have cultivated the fields of the Lord to bear rich fruit in Prussia and Livonia.*

Source: Original document. State Archives of Gdańsk.

In nomine sancte et individue trinitatis, amen. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis frater Anno de Sangerhusen domus hospitalis sancte Marie Theutonicorum Jherosolimitani honorabilis magister salutem ac bonorum omnium incrementa. Quoniam inconfusibiles operarii sunt in agro Dominico fratres de ordine predicatorum, de quorum laboribus germinare fructus uberes cepit Pruscia et rigata Lyvoniam luxuriante messis habundantia jocundari, et quoniam primum Deo, deinde proximo et ordini nostro specialiter se nimirum acceptabiles reddiderunt, vere dignum et justum est, ut eis meritorum vices aliquatenus rependamus pro reciproce debito caritatis. Igitur cupientes eos nobis inseparabiliter esse junctos sicut mente ita et corpore, notum esse cupimus Christi fidelibus nostrorum contulimus eorundem predicatorum ordini venerando aream in Torun super rivum ad nostra molendina defluentem possidendam, ut in ea edificent diversas sibi necessarias officinas, ad quas de jam dicto rivulo aquam poterint derivare, ita tamen, ut molendina nostra nullum habeant impedimentum, set aqua rivuli memorati suum alveum non excedens ad molendina totaliter revertatur. Item fratres ibi manentes piscandi ad coquinam suam in omnibus aquis terre Culmensis sive Torunensis ad nos libere pertinentibus, fluviis sive stagnis, omnimodam habeant facultatem. Insuper, quod de elemosinis mobilium secundum sancta instituta ordinis sui vivunt, ne defectus temporalis messis impediat semen eternum, eis in perpetuum indulgemus, ut etiam hereditates in terra Torunensi sive Culmensi accipere possint, si eis devotionis affectu et intuitu pietatis dabuntur, ita ut prius fratribus nostris eas exhibeant ad emendum. Qui si eas emere noluerint, infra annum vendantur tali vel talibus, quod inde velint et valeant debitum servitium adimplere. Ut autem omnia hec predicta futuris temporibus maneant illibata, hoc scriptum pro testimonio sigilli nostri appensione duximus roborandum. Datum in Culmine anno gratie MCCLXIII quarto nonas aprilis.

Published: *Preussisches Urkundenbuch - Politische Abteilung* vol. I:2 no. 197.

